

desiderauit. In Ægypto quidem etiam A
dubio procul spirituales Deo cultum
exhibuit orando, inuocando, alios eru-
diendo: altare vero ibi ædificasse non
legitur: quia vel per Ægyptios nõ licuit:
vel in alieno fundo ædificare nõ voluit.
A S S C E N D I T. cap. 12. ver. 10. descen-
debat ex Cananæa in Ægyptum: quia
Cananæa altior est Ægypto, hoc est, Se-
ptentrionalior. A D M E R I D I E M hoc
est, in loca Cananæa meridionalia, Æ-
gypto vicina, in quæ prius dicebatur
profectus ex Bethel; & vnde descende-
rat in Ægyptum cap. 12. 9. Alioqui A-
fricam versus descendisset. Septuagin-
ta vocem מִמֶּרְכָבִים hic vt prius cap. 12. 9.
reddunt *eis τὴν ἔρημον in desertum*: planus
est sensus, quod per deserta Arabiæ iter
fecerit. מִמֶּרְכָבִים *meridiam* significat, sed pro-
prie terram aridam, desertam, qualis est
in meridie. Quid interim fecerit in Æ-
gypto, vbi habitauerit, quamdiu ibi
manserit, an vt scribit Iosephus li. 1. cap.
9. & Eusebius ex Alexandro historico
refert, mathematicas disciplinas Ægy-
ptios docuerit, an Heliopoli iussu regis
cum sacerdotibus congressus sit, tan-
quam incerta in medio relinquo. Tem-
pus breue fuit, forte non vnus anni.
Nam omnes historiæ à 12. ca. ad 16. cap.
fuerunt vnus decennii.

*Allegoria
Ægypti &
Cananæa.*

Ægyptus optima regio (vt prædica-
tur ver. 10.) sed inferior & piis infesta,
figura est huius mundi: *Canaan* fame-
lica sed superior, terra promissionis ty-
pus est regni cœlestis: vbi altare nostrū
est *Christus*. Cum Abrahamo igitur de-
serenda est Ægyptus periculosa: & per
deserta omnia, non obstante famis mo-
tu, *Canaan* cœlestis petenda: quoniam
nobis non deerit Deus, quin commea-
tu necessario in via benedictione sua
nos instruat.

2. ERAT ABRAM DIVES VAL-
DE: Altera circumstantia, vnde Abra-
mo tantæ diuitiæ tam repente? Non
vtique ex rapinis aut malis artibus: sed

partim ex honesto labore, partim ex re-
gali libertate, de qua cap. 12. 16. Cum-
primis vero ex singulari Dei benedi-
ctione, quæ sola diuites facit. Prouerb.
10. 22. *Benedictio Iehouæ ditat, nec apponit
Iehouæ dolorem ei benedictioni.* Ambrosius
l. 2. c. 5. de Abrah: *Erat diues valde, vtpote
cui nihil bonorum deerat, qui nihil alieni erat
appetens, qui nullius indigebat, quod suum di-
ci vellet. Hoc enim est esse diuitem, quod satis
voluntati sit. Mensuram enim frugalitas ha-
bet: census non habet, cuius modus in arbitrio
querentis est.*

Primum hic comprobatur veritas pro-
missionis: *Benedicam tibi: & eris be-
dictio, cap. 12. 2.* Deinde refelluntur fana-
tici damnantes diuitias quasi piis illicitas:
quæ simul cum pietate possideri
non possint: atque tollentes rerum &
possessionum distincta dominia, quasi
nemini proprium habere fas sit. Sed hy-
pocritæ foris opum contemptum osten-
tantes, intus inexplebili habēdi cupidi-
ne æstuant, & sanctimoniam ac precum
prætextu viduarum & pupillarum do-
mos deuorant. Abram & Lot pii fue-
runt, simulque diuites valde: & posse-
derunt facultates proprias atq; distin-
ctas: Er opulentia eorum, tanquam sin-
gularis benedictio Dei celebratur. Fa-
teor spinas vocari opes, quibus multi
periculose punguntur, nempe qui te-
mere eos attrahunt, sobrie & pruden-
ter iis vti nesciunt. Socrates eas compa-
rabat tunicis talaribus: quia vt istæ im-
pediunt incessum: sic illæ afferunt im-
pedimenta virtuti. Id fit quando diui-
tes eis vel cor apponunt, quod fieri ve-
tat Psaltes Psalm 62. vel ad fastum & lu-
xum abutuntur, vt epulo apud Lucam.
Ergo vt opibus non est illicite vel im-
modice inhianandum: sic affluentibus ex
diuina benedictione non est fidendum
vel abutendum: sed tenenda regula a-
postoli: *Qui emunt, tanquam non possiden-
tes, qui vtuntur mundo hoc, vt non abutentes,
quia species huius mundi præterit.* 1. Cor. 7.
30. Sed

SECVN
Diu

30. Sed